

præmittere solent evacuationem primarum viarum per vomitum, vel per secessum, ne postea colluvies ista vel efficiat angustias præcordiorum, vel in suffocationis periculum ægrum inducat. *Conf. Hildan. c. 5. Obs. 92.* Solent & balnei usum adhibere in Nosocomiis nostris, ut densam cutem facilius postea subeat metallum illitum: etiam venæsectionem, ubi videtur illa necessaria. His itaque cæremoniis præmissis paretur linimentum sequens, si Sennertum (n) sequi libet: *Rec. ꝯii vivi purif. unc. 6, adipis suilli non saliti Lib. j.* Extinguatur cum adipe suilla ꝯus, & exacte misceatur in mortario lapideo. Jam adde *Medull. crur. bovis unc. s. Terebinth. unc. iij, Ol. dest. Terebinth. unc. j. m. f. unguentum. d. s. Resolvens raudē Salswa.* Hujusmodi fere unguento inungantur plantæ pedum ac manuum volæ, hinc tali & carpi, tum genuum, cubitorum & humeri flexuræ; abdomen vero, pectus & caput non inungenda esse propter funesta symptomata subsequencia jam sæpius experientia, illa stultorum etiam & temerariorum magistra, docuit. Inungat autem sese æger loco calido & prope fornacem mane & vesperi, & inunctione peracta membra linteis obvolvantur vel papyro, & æger lecto calido probe tectus recubet leniterque madeat. Pro singulo litu uncia duæ vel tres absumentur. Pro cura integra sufficiunt uncia quatuor, vel quinque Mercurii: nam ad sex vel septem ascendere uncias vix licet. Post quartam vel quintam inunctionem fere sequitur salivatio: tunc matutina solummodo inunctio sufficiet, donec ptyalismus rite procedat. Si per aliquot dies noctesque continuata inunctio anxietates solummodo & Lipothymias movet, recte & probe monet Zacutus (o) ab hac desistendum esse, & cum sudoriferis pergendum. Vel trochiscis sublingualibus promoveatur fluxus, jubente id Etmüllero, vel Scr. s. ꝯrii dulcis propinetur, vel sudorifero moveatur cessans illa humorum ineptitudo, vel denique vomitorio exhibito, notante id ipsum Riverio. *C. 1. obs. 77.*

Imminentis autem salivationis hæc indicia sunt: Alvus

F

sup-

(n) *Lib. 6. Prax. part. 4.* (o) *Pr. adm. obs. 135.*